

L6,8
FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA VITEBERGENSI
H. T.
DECANVS
IOHANNES GOTTFRIED
LEONHARDI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR PATHOLOGIAE ET CHI-
RVRGIAE PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS, SOCIETATIS OECO-
NOMICAE LIPSIENSIS SODALIS

PANEGRYRIN MEDICAM

AD. XXII. MENS. SEPTEMBRIS A. CICICCLXXXIII

HABENDAM

INDICIT

A D I V N G T A

DE ACIDORVM MINERALIVM ET VEGETABILIVM INSIGNI
RATIONE VIRIVM MEDICATARVM DISCRIMINE

PROLVSIONE PRIMA.



LIBRARIATI MEDICAE
IN AEDIBUS LIBRARIBUS
DAGAVAS
VNIQUITATIS COPTI
IDIANOZ
MAGISTER
INDIA
SARACENI
DE ACEDORVM MIRRORVM ET AFFECTIBVRVM INSTITV
TATIONE ALIAS MIRIFICARVM DECIMINUM
LIBRARIA



uam cupidi sederint iudices plerique virium medicamentosarum, corporibus naturalibus et, quae ex ipsis praeparantur, remedis pharmaceuticis infistarum aestimatores et materiae sic dictae medicae scriptores systematici non minus, quam artis salutaris exercitio occupati viri ceteroquin doctissimi, innumeris omnino facile comprobatum dari potest documentis. Ut enim nihil referam de iis, qui de efficacia medicamentorum, quae vel nunquam, vel alieno loco adhibuerant, detraxerunt; aut inertibus omnique salutari virtute destitutis remedis, vires eximias aduersus morbos, quos sola tamen natura medicatrix, apto insuper regimine adiuta, superauerat, tribuerunt, aut circumspetto demum vsu saluberrima recuperandae salutis adminicula ceu perniciofa horruerunt et proscripterunt, aut denique viribus plane iisdem pollutia diuerissimae facultatis esse arbitrati sunt, vtque de iis modo dicam, qui artificiose, quam excogitauerant, medicamentorum coordinationi tantum dederunt, vt diuerissimae naturae remedia, propter paucarum qualitatum similitudinem vel penitus conuenire, vel ad definitum quoddam valedutinis genus emendandum, cui emendando alterum vere par est, valere quoque alterum existimarent, siquidem cupidi talis iudicij exempla congerere plura animus esset, voluminosi omnino libri



conscribendi argumentum sese offerret mihi vberimum; in quo quidem digne satis pertractando exiguae modo molis libellum nunc apparans quum versari recte nequeam, vnum illud, quod circa acidorum mineralis et vegetabilis prosapiae vires medicatrices definiendas erratum a quibusdam peccatumque est, notabo.

Scilicet, quum animaduerterent, acida vitrioli, nitri et salis culinaris, quae ex mineralibus sola in usum medicum recepta sunt, cum acido aceti, tartari, citri aliisque vegetabilibus saporis acore, effervescentia cum salibus et terris alcalinis, quibus adhucdum inest acidum-aereum, facultate porro rubefaciendi erotonis tinctorii, violarum, omninoque, praeter indigoferae et isatidis tinctoriae puriores feculas, omnes vegetabilis originis colores caeruleos, virtute denique coeundi cum alcalinis in familia neutra conuenire; quum praeterea ab acutissimi ingenii chemicis quibusdam persuaderi sibi paterentur, siue acidos spiritus succosque ad vnum omnes acori cuidam vniuersali, eidemque vitriolico originem debere, siue commutationem acidorum mineralium in vegetabilia haud dubie obtineri posse istorum quidem cum oleosis vegetabilibus destillatione et contemperatione artificiosa; quum porro relatum legerent, succos ex quercu et nuce iuglante expressos luculenta aciditatem vitriolici vestigia ostendere; *) sacchari puluerem ab instillato oleo vitrioli nebulam multam albicantem, spiritus salis odorem, ut putabatur, redolentem exhaliare; **) tartari spiritum acidum, ope acidi vitriolici ex tartaro tartarisato, tartaroque chalybeato expulsum cum salibus alcalinis fixis salia media, vesco et digestiо proxima et cum dupla quantitate acoris nitroſi liquorem, qui aurum soluat, praebere, insuperque ex solutione hydrargyri, acido nitri parata, calcem albam, quae sese eundem in modum, ut mercurius precipitatus albus subli-

*) v. Rud. Aug. Vogel Instit. chem. §. 468.

**) Idem ibid.

sublimatione in sal, mercurio sublimato corrosiuo geminum con-
 uerti pateretur, praecipitare, atque adeo magnam cum acido mu-
 riatico conuenientiam pree se ferre; *) quum de reliquo satori sali-
 um, ex plumbō acidisque nitri et aceti enatorum, dulci eam pro-
 bandi vim inesse crederent, quae vtriusque acidi indolem commu-
 nem confirmaret; olimque reperirentur, qui ne nostris quidem
 temporibus desunt, qui nitroſi et muriatici acidi generationem ex
 vitriolico artificialem asseuerarent constantissime; quum denique
 obſeruarent vel illi ipſi, qui rationib⁹ opinioneſ ſuam firma-
 bant, vel qui mancae tantum et male collectae experientiae con-
 fidebant, vtraque acida, tum mineralia, tum vegetabilia in com-
 pescendo orgasmo et calore corporis humani morboſo inque pu-
 tredine abarcenda et coercenda parem fere aliquando monſtrare
 videri efficaciam: tot rationib⁹ commoti, non indole et natura
 ſua, ſed gradu tantum et concentratione, vtraque acida differre, at-
 que adeo fere promiscue adhiberi poſſe, temere nonnulli statue-
 runt. Itaque etiamnum haud pauci acidis vtriusque fine diſcribi-
 ne propinatis non modo calorem morboſum cuiusuis generis tempe-
 rare et putredinosam diſpositionem quamuis emendare inconfuſto
 aggrediuntur, verum adeo perperam ſperant et male praecipiunt
 biliolam acrimoniam mineralibus acoribus corrigere. In horum
 igitur hominum erroribus, ſaluti aegrotorum plus minus perni-
 ciosis redarguendis et refutandis ita quidem verſabor, vt primo
 refellam argumenta illa qualiacunque aduersariorum, quibus im-
 ponere poſſent credulitati tironum persuadereque vtriusque acidis
 naturam eſſe eandem; vt porro ostendam diuersiſſimum modum,
 quo acida mineralia et vegetabilia operantur simplicioribus ipſo-
 rum effectibus, quos edunt in fibras ſolidas, inque neruos et hu-
 moreſ tum ſani tum morboſi corporis, vt denique maniſteſto euin-
 cām,

a 3

*) vid. *Monnet traité de la diſſol. des metaux p. 79.* itemque *Scheelius apud Berg-
 mannū in adnot. ad Schefferi chem. Vorles. §. 29.*



cam, ne in istis quidem conditionibus morbosis, ad quas tollendas ambo acidorum genera prodesse videntur, perinde esse, quale adhibeas; omnium minime vero ad acrimoniam amaram et biliosam, cui rancida quoque et amurcosa accensenda est, corrigendam, vegetabilibus acidis mineralia substitui posse.

Itaque primo quod vegetabilia acida aeque ac mineralia acerbi quid respiant, caeruleas vegetabilium tincturas rubefaciant cumque salibus lixiuiosis et terris absorbentibus, aere fixo turgidis, inter efferuescendum in salia neutra abeant, id generis quidem prodendi, non item efficacie in corpus humanum simillimae docendae vim habet; vt pote cuius diuersissimae adeo testimonium, quum vitriolici acoris flyptica virtus nitrosoque et muriatico adiuncta acrimonia a blandiori vegetabilium acidorum aciditate quam longissime recedat, vel solius saporis, linguae impressi differentia exhibeat locupletissimum.

Deinde, quod omnia acida a communi quodam acore vniuersali ceu ipsorum parente genita sint, id vero sumtum quidem est ingeniose admodum et acute, non aeque vero firmiter et irrefragabiliter probatum. Quid? quod si vel maxime poneretur vera haec communis ipsorum origo, nihilo tamen minus, quum certissima sit et indubitata tum inter acida mineralia mutua, tum inter ea et vegetabilia, diuersitas deinceps pluribus explicanda, quae a particulis haud dubie non proportione forte sola, sed indole quoque discrepantibus, eidemque acori vniuersali supposititio adiunctis necessario proficisci deberet, vt aut vbique, aut in definito quodam valetudinis genere viribus medicatricibus pollerent, gradu licet diuersis, re ipsa tamen similibus, nondum propterea consequenter. Idem acidum vitrioli inest alumini, vitriolis, spatho ponderoso, gypso, sali mirabili, tartaro vitriolato, sulphuri, aquae RABELII, liquori anodyno minerali HOFFMANNI, saponibus acidis ACHARDI, sed quanta queso omnium horum est, tum in

in habitu externo tum in indeole sua atque operandi modo et efficacia, diuersitas!

Quod porro artificialem acidi mineralis, inprimis vitriolici conuerzionem siue in nitrosum aut muriaticum, siue in vegetabilia adeo acida attinet, id non modo grauissimis obnoxium est dubitationibus, sed etiam ad virtutum medicatarum conuenientiam euincendam vsusque vitriolici et vegetabilis acoris promiscuum vel excusandum vel defendendum ne hilum quidem facit. BECHERVS, STAHLIVS, IVNCKERVS, aliique ipsorum affeclae, qui in acido vitriolico, quod ex aqua et terra vitrescibili minerali conflatum omniumque simplicissimum, purissimum et mutationis expertissimum esse arbitrabantur, inuenisse sese primigenium sperabant, ex eodem acido per phlogiston subtiliter attenuato nitrosum et ex terrae mercurialis cum vitriolico copulatione muriaticum produci multis olim persuaserunt, quibus nunc persuadeant amplius, praeterquam vehementer credulis, habebunt forte neminem. Quem enim quaeso mouebit amplius, vt ipsis assentiantur, leuissima illa similitudo, quae acidum sulphuris, ceu vitriolicum phlogisto vere contemperatum, acidumque nitrosum intercedit in eo, quod vtrumque volatile et odoriferum est, quod neutrum cum sale alcalino vegetabili in adeo firmum acidique sui tenax sal medium, quale tartarus vitriolatus est, concrescit, quodque ex vtriusque huius acidi connubio cum isto alcalino sale crystalli salinae et aliter formatae et multo solubiliores prodeunt, quam vtraque ista acida et volatilitatis gradu, et odoris specie et salis medii, quod cum lixiuioso sale generant, natura prorsus sint diuersissima. Cautius videri poterat in acidi nitrosi prosapia vitriolica euincenda progressus esse Illustrissimus Comes DE SALVCES, *) vtpote qui non modo per analysin ex illo acido praeter alcali vrinosum, terramque tum calcaream tum silicinam liquorem acidulum eundemque empyreum.

*) vid. Cel. Crellii Neueste Entd. in der Chem. Th. VIII, S. 7. ff.



pyreumaticum sese separasse perhibet, verum etiam per synthesis ex miscela solutionis vitrioli martis aquosae hepatisue sulphuris calcarei, aceto, frigore concentrato, factae, et salis vrinosi, ex sale ammoniaco vel olei tartari per deliquium vel lixiuii saponarium vel liquoris silicium ope parati, excussa quidem terra marziali ex illa vitrioli; et secula quadam nigra ex ista hepatis calcarei solutione; obtinuisse sese scribit liquorem, qui post diuturnam digestionem et subsequentem filtrationem cum sale lixiuioso fixo copulatus euaporando nitrum informe, destillandoque nitri acidum ipsi praebuerit. At enim vero, quo minus in suam sententiam deflectat animos lectorum, quantum ego quidem video, impeditunt primo studiosum ipsius minusque oportunum silentium, quo verum experimentorum modum iustasque eorum, quae commis- scuit proportiones abscondidit, quas tamen, vt ab aliis eodem cum successu repeti ipsius tentamina possint, accurate noscendas et sedulo obseruandas esse, ipse fatetur; deinde perplexum dicendi genus, quo vtitur in iis exponentibus, quae tamen non videtur celari velle et praetermissio omnium argumentorum, quibus, quod nitrum eiusque acidum esse existimauit, vere tale quid extitisse probare debuisset; fieri enim potest, quuni methodo eadem, sed proportione tantum diuersa obseruata, etiam muriaticum ex vitriolico progenitum, aut, quod ipse coniicere audet, ex sale alcalino volatili euolutum impetrasse sese narret, vt idem quod accidit aliis passus, fallente crystallorum similitudine sal digestuum pro nitro, salisque forte acidum, quod dicunt dephlogisticatum, fallente vapore rutilo, pro nitroso haberet; quamuis ex laboribus ipsius salia prorsus alia, inque tam diuturna digestione ad aereum alcalina salia aeris fixi vnione forte crystallisata et forma sua vt cunque nitro prismatico similia potius expectares; denique id impedit haud contemnenda suspicio omisi examinis seuerioris eorum salium, in quae et per quae Comes operabatur. Sicuti vero vitriolica origo acidi nitri et salis nondum probata habetur, ita

ita multo incertior est vegetabilium acorum ex mineralibus genera-
ratio. Quod enim in tamarisco et fuco vesiculoso v. c. sal mira-
bile, in heliantho, borragine aliisque bene multis plantis, quibus
etiam vt nuperis experimentis intellexi, chelidonium maius accen-
fendum est, nitrum; in falsola, salicornia, galeopside aliisque
sal culinare, atque adeo mineralia acida, sale lixiuoso ligata, con-
tineantur, per soli, in quo vegetant, conditionem perque me-
ram admixtionem euenire in propatulo est; similique omnino mo-
do vitriolicum acidum in iuglandem et querum, salisque illud in
tartarum, qui vitis viniferae sal essentiale est, demigrasse videntur,
reliquum vero, quod istiusmodi vegetabilibus inest acidum,
quodque acoris vegetabilis manifesta pollet indole, per conuerfi-
onem quandam mineralium horum acidorum natum esse, nemo
ad haec usque tempora idoneis comprobatum dedit argumentis.
Differunt vegetabilium acores a mineralibus maxime in eo, quod
intime ipsis iniunctum atque innatum sit principium oleosum, cu-
ius tenacissimi sunt. Ob hoc oleosum principium solent vel stu-
diosissime depurati cum salibus fixis alalinis in eiusmodi salia
media abire, quae non modo inter vrendum acidum suum et ne-
fine destructione quidem ipsius facile exhalant, sed etiam multum
acidum aereum spirant, et massam relinquunt alcalescentem illam
quidem, sed manifesto quoque simul carbonaceam. Quale quid
salia media, quae acidum quoddam minerale continent neque pa-
tiuntur, neque offerunt. Itaque patroni huius metamorphoseos
acidorum oleosum principium cum acido minerali vnire aggressi
sunt, ita vt vel valde dilutum illud cum oleo quodam vel cum vini
spiritu remixum destillarent. Verum enim vero priori modo aci-
dum non vegetable, sed sulphureum; *) posteriori acidum quidem,
vel idem illud, vel eo iam separato adeo lene obtinuerunt, vt satis
prope videretur ad vegetabile accedere, reipsa tamen plurimum
ab

*) vid. Macqueri chem. Wörterb. Th. III. S. 672.



ab eodem distaret. Sic acidulus ille liquor, quem Cl. BEAUMÉ in destillatione ineunte laticis ab aethere vitriolico remanentis acquisuit, sapore quidem suo, immo forma adeo salis medii, quod cum sale tartari dedit, persimilis visus est aceto, affusus vero solutioni argenti verum argentum vitriolatum excussum. *) Sic acidulus porro liquor, quem Cl. NAVIER **) ex miscela acidi nitrosi tenuioris cum duplo spiritu vini rectificatissimi per quadruplin digesta et deinceps in arenae balneo abstracta paravit, vegetabilis acidi saporem aemulatus est, suisse tamen praeter spiritum nitri male dulcificatum, nihil aliud, quis quaeso non videt? Vt vero in hoc experimento saporis qualiscunque similitudo nitrosi et acetosi acoris conuenientiam non euincit, ita in summa illa qualitatum sacchari saturni plumbique nitrati discrepantia soli saporis fidere aque gustus iudicio pendere itidem haud licet. Omnia denicē minime credendum est odori acidum muriaticum referenti, quem spirasse dicitur nebula alba ex saccharo per affusum vitrioli acorem prolecta. Fuit enim illa nebula nihil aliud, quam Clarissimi DE HERBERT aer sic dictus *acidus sacchari*, quem alio tempore aut concretionem plurium vaporum aut vero acidum vitrioli phlogisticatum siue Gas acidum sulphureum volatile esse iudicau. ***) Odor autem ille haud dubie fuit aduentius, natus ex eo, quod saccharum ad experimentum receptum accubuerat croco, cuius effluuiorum odoriferorum contagio, vt saepe apud instidores talium mercium accidere solet, imbutum fuit, ita, vt croceum odorem, qualis etiam muriatici acidi est, communicearet quoque acidi vitriolici volatilis exsurgentibus vaporibus. Sed si vel maxime admitteretur, arti licere, vt conuertat acores fossiles in vegetabiles, aut vero vtrorumque horum aeorum esse qua-

*) vid. Mem. de l' Acad. etc. Scav. etrang. To. III, p. 223.

**) Contre poisons To. II, p. 301.

***) vid. quae haec differui ad MACQUERI chem. Woerterb. Th. III, S. 596. f.

qualitatum quarundam similitudinem: sine discriminē tamen ut iam dixi propterea nondum possent propinari aegrotis, quoniam quod artis chemicae operosis laboribus demum vix ac ne vix quidem obtineri potest, id in corpore humano aegroto subita ratione obtineri posse veri est prorsus absimile; et quoniam oleosum principium intimius vegetabilibus acidis iunctum eorundem operandi modum longe alium reddere necessario debet, quam mineralium, quae ab olei cuiusuis accretione penitus sunt libera. Confirmat quoque hoc iudicium attenta contemplatio effectuum eorum, quos vtraque acida in partes corporis nostri solidas fluidasque edere obseruantur, et in quibus exponendis proxima differendi oportunitate pergam, quandoquidem nunc accedendum sit ad commendationem publicam.

V I R I

CLARISSIMI ATQUE DOCTISSIMI

HIERONYMI IACOBI CONRADI

LVTHERI

ECLENFOERDEA -- HOLSATI

MEDICINAE CANDIDATI DIGNISSIMI

qui tempus excolendis litteris humanioribus et addiscendae arti salutari destinatum adeo egregie collocauit, vt profectum suorum haud vulgarium luculenta dare posset ordini nostro specimina dignusque iudicaretur, quem et laudibus condecoraremus, et summorum quoque in medicina honorum praemiis exornaremus. Vt vero lectores accurate intelligent, quo modo omnem

b 2

vitae



vitae suae rationem instruxerit, quibus praceptoribus et ducibus in adeo bonum probabilemque medicum fuerit formatus, in quam denique humanum atque gratum discipulum contulerint ipsius magistri assidue et fidelissimae institutionis beneficia, consulto praeter ipsum non alio vtar interprete, vtpote quum haec omnia clarissime eluceant ex ea de vita et studiis suis narratione, quam suis hisce conscriptam verbis nobis exhibuit.

Ego, HIERONYMVS IACOBVS CONRADVS LVTHERVVS,
natus sum Eklensoerdeae oppidi Holstiae, die vigesimo tertio mensis Martii,
anno huius seculi quinquagesimo nono. Patrem habeo IACOBVM, tunc
temporis praefectum Forestarium. Mater autem ELSABE SOPHIA,
e gente KRAFFTIANA, praematura morte mihi est erepta, cuius memo-
riam tanta pietate colo, quanta patrem, en diuina gratia in viuis mihi
adhuc superstitem, ob innumera in me collata beneficia, veneror. Prima
religionis litterarumque fundamenta ab ipso patre et, post beatae matris
obitum, a praceptoribus domesticis accepi; quo facto anno sexagesimo ter-
tio Rendsburgum missus ad Auunculum meum IOANNEM GEORGIVM
WEIMANNVM, montis pietatis regii inspectorem, eiusque curae singulari,
comendatus sum. Non solum autem hic, sed reliqui quoque consanguinei,
aliquam beneficiorum partem in me collocarunt, quam benevolentiam, quam
diu vitali aura fruor, semper grata mente prosequar. Hic iterum vario-
rum praceptorum ipsiusque auunculi institutionibus usus sum, ad annum
huius seculi sexagesimum usque quintum, ubi Gadenbergam petii, ibique
praestantissima dexterorum virorum instructione imbutus sum, inter
quos

quos in primis mihi nominandus est b. AMBDER S, cuius solidae eruditioni
ac fidelissimae institutioni plurimum debo, hinc etiam eiusdem in me instru-
endo solertiam ac industriam obliuioni nunquam dabo. Adolescens dein
factus, varia propositi mei moram produxerunt, ita, ut ea, quae antea ma-
gno cum ardore tractabam, nunc per aliquot annos fere negligere cog-
rer, donec obstaculis hisce sublatis, pristinus litterarum calendarum amor,
in animo meo reuixit, ac singularis studii Medici descendit ab ineunte aetate
inhaerens mihi cupiditas, denuo resuscitata ut me Arti Apollineae conse-
crarem, obtinuit. Quo vero idoneam litterarum et in primis Medicarum
doctrinarum mihi compararem cognitionem, anno huius seculi octogesimo
primo me Vitebergam contuli, et a Magnif. PAVLI, Academiae tum tempo-
ris Rectore, in album ciuium academicorum relatus sum. Quo facto, insi-
tutionibus Excell. b. BODEN priuatissimis me tradidi, qui in antiquis
Auctoribus legendis aliisque ingenii acuendi exercitationibus me erudiuit,
nec non antiquitates Romanas et Horatii artem poeticam exposuit. Excel.
HILLERV S Philosophiam me docuit atque Ciceronis officia interpretatus
est. Excel. EBERT Mathesin puram mihi tradidit, Excel. TITIVS au-
tem Historiam Naturalen et utramque Physicam me docuit, et ab Excel.
SCROECKHO Historiam imperii Romano Germanici percepit. Nun-
quam autem obliturus ero fructus, quos ex S. V. REINHARDI institutio-
nibus, cum magno studiorum meorum augmento, haurire mihi licuit. Eum
enim secutus sum in Philosophia, eiusque moderamine auctororum veterum
legitimam interpretandi rationem, linguae elegantiam, stilique accurate



formandi redegique disputandi praecepta, accepi. Quod autem Medicas doctrinas attinet: in Phsyiologia, Pathologia ac Therapia generali, secutus sum Exper. NVERNBERGERVM, qui etiam Chirurgiae et morborum venereorum, itemque mulierum, expositionem mihi tradidit. Eandem utilitatem ex lectionibus Exper. LEONHARDI Decani h.t. spectabilis, Clinicis et Chemicis, percepit, atque Examinatoria eiusdem Anatomico-physiologica frequentauit. Magnis. BOEHMERI demonstrationibus botanicis et institutionibus in rem herbariam, ad sedisse, me nunquam poenitet, cuius quoque praelectionibus in Materia Medica, Pharmaciam, Therapiam generalem et Praxin Clinicam scholisque disputatoriis et practicis artis formulas medicinales concinnandi, exercitiis, magno cum fructu interfui. Quorum quidem summorum Virorum, omni cultu prosequendorum, benevolentiam pin mente semper venerabor. Grato quoque animo, Exper. LANGGVTHII insignem erga me benevolentiam ac humanitatem, quem patronum, fautorem ac studiorum meorum directorem habui, agnosco. Non solum enim eum in Anatome, Pathologia, Medicina forensi, Politia Medica, Arte obstetricia et Historia naturali, doctorem habui, sed vera quoque, ad Medicinam faciendam, manuductione, in aegris visitandis tractandisque, eo duce usus sum. Nec minorem fructum ex eius exercitationibus, quas mecum instituit cadauera dissecandi, priuatis, percepit; nec reticere fas est, quanta, ex amicissimis colloquiis mecum institutis, ex quotidiana consuetudine, atque saluberrimis consiliis: quorum semper suauis erit in animo meo recordatio, ex bibliotheca splendidissima, qua sem-

per

per utendi copiam natus sum, in me redundarint commoda. Cui igitur pro tot tantisque in me meritis, per totam vitam, me fore obstrictissimum, publice gratus profiteor. His ita practis, ut me ad consueta admirerent examina, Gratiostam Medicam Facultatem humanissime adii, quo denique mihi ad Cathedram panderetur aditus, atque defenso quodam libello Academico, Honores in Arte salutari summi benignissime mihi decernerentur.

Iam quod Candidatus Clarissimus ab Ordine nostro modeste petiit, eo lubentius Ipsi tribuimus, quo plenius in examinibus, cum Ipso coram Facultate nostra institutis honorificeae, quam de Eius in vtraque medicina, tam theoretica, quam practica profectibus conceperamus, expectationi satis fecit, dedimusque Eidem veniam cathedrae medicae die XXII mensis Septembris descendendae, dissertationisque inauguralis *de haemoptysia* ab Ipso proprio marte multaque cum industria conscriptae publice contra dissentientes ita propugnandae, vt, quod per indulgentissimam SERENISSIMI PRINCIPIS gratiam Ipsi contigit, certamen hoc eruditum publicum sine praeside solusque subiret. Quem actum solemnum vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, CIVES
deni-



denique HVIVS LITTERARIAE VNIVERSITATIS GENEROSIS-
SIMI atque NOBILISSIMI praeſentia ſua exornare velint, Ordini-
nis mei atque Candidati doctifſimi nomine, ea, qua par eſt ob-
ſeruantia rogo atque contendō. P. P. Vitebergae Domini XIV.
post Trinitatis A. O. R. CIO. 19CC LXXXIII.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.



Wittenberg, Diss., Erg. Bd. 6, 1783/91



5b.

KD 18
WMBat 92



requiritur vir artis salutaris peritissimus,
si ea, quae ex Doctorum ore hausit, pu-
nd non expectandum esse, nemo ignorat.
i de nostro iuuenili labore iudicent, erga
uos, ac, si quid in nostro libello minus
adeo erratum ipsis videatur, esse condo-
enigitate, freto animo, huic disputationi

L6/8
FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA VITEBERGENSI

H. T.

D E C A N V S

JOHANNES GOTTFRIED
LEONHARDI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR PATHOLOGIAE ET CHI-
RURGIAE PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS, SOCIETATIS OECO-
NOMICAE LIPSIENSIS SODALIS

PANEKYRIN MEDICAM

AD. XXII. MENS. SEPTEMBRIS A. CICICCLXXXIII

HABENDAM

INDICIT

A DIVNGTA

DE ACIDORVM MINERALIVM ET VEGETABILIVM INSIGNI
RATIONE VIRIVM MEDICATARVM DISCRIMINE
PROLVSIONE PRIMA.

